

concipere. dixi autem, quasi impossibile, ob ea quæ loco subdam infra quæst. 8.

16 Secunda conclusio. Omnes febres ardentes, acuta, colliquativa, syncopales, malignæ, pestilentes, hincque non absimiles, morbi insuper omnes quicunque acuti censentur, id proprium habent, ut & coitum, & multo magis generationem omni ex parte, & undequaque impediunt, quamdiu vigent; licet ea impotentia ipsis recedentibus ut plurimum recedat, non tamen utraque eodem tempore: nam convalescentes tantisper ad coitum sufficiunt, licet ex eo summopere lædantur, indicio sit, plerumque eos involuntarie in somnis semen effundere, quod Amatus Lusitanus in suis Curationibus Medicinalibus sigillum sanitatis esse dicebat; nam quemadmodum vigente morbo spirituum maxima, & indefinens jactura fit, præcipue si morbus acutus, aut malignus extiterit, sic ubi Natura prævaluerit, denuo optimi sanguinis generatio fit, ex quo seminis omnis materia deciditur; at impotentia generandi non modo ut plurimum perdurare solet per totam convalescentiam, sed quandoque etiam ex magnis, & acutissimis morbis per totum vitam curriculum.

18 Tertia conclusio. Morbi omnes partium genitalium, aut etiam circumjacentium generandi impedimentum præstant, non tamen omnes impedimentum afferunt in coeundo. patet præcipue in gonorrhœa, & seminis profluvio, quibus durantibus homo nunquam generat, coire tamen bene potest, immo ex his affectibus interdum ad coitum urgentioribus stimulis excitatur. Cum Gonorrhœam autem dico, & seminis profluvium, de vera gonorrhœa & seminis profluvio intelligo, non de pseudo-gonorrhœa, qualis fieri plerumque solet ex contagio Gallico, cum hac enim videmus per multos indies filios procreare, tam maritos, inquam, quam uxores.

19 Quarta conclusio. Omnes morbi, qui partium principum crâsim, seu temperiem deviant, impediunt semper generationem, aliquando etiam coitum; tales essent Marasmus, Hæctica, Cachexia, Hydrops, & his non absimiles; patet quia tam ad coitum, quam ad generationem omnium principum partium virtutes concurrunt, quarum unica male affecta, necesse est inde consequentes actus impediri, sed quamvis prædicti morbi difficiles sint ad sanandum, non est tamen impossibile, hominem ex illis evadere, & ad naturalem statum reverti, unde etiam in posterum utraque impotentia in illo recedat.

20 Quinta conclusio. Morbi omnes longi, & inveterati utramque impotentiam, sed præcipue generativam conciliant; patet quia ex talibus morbis singulæ corporis partes per se, præsertim vero principes intemperata evadunt, ipsamque sanguinem, & consequenter ipsum semen summopere vitiant, quod ita accipiendum, ut tales morbi sint alicujus momenti, non vero leves, ut esset levis quartana, aut febricula ex obstructionibus dependens, aut alius similis morbus; cum his enim, etiam si longi, & pertinaces essent, non impossibile esset, hominem generare.

21 Sexta conclusio. Menstruorum quodcumque insigne vitium, sive in excessu, sive in defectu, sive in qualitate mala consistat, potest in foeminis conceptionem impedire. hæc conclusio Medicis est acceptissima, & alia probatione non indiget; sed ad

notandum quod vitium qualecumque insigne menstruorum faceret quidem aliquam præsumptionem, & conjecturam impotentie generandi in ea, contra quam ageretur de suppositione partus; non tamen conjectura illa per se esset magni momenti, quia non est impossibile, mensuris qualitate mala dotatis, aut deficientibus, aut excedentibus ultra naturalem modum, foeminam concipere, sed hæc præsumptio aliis associata non esset contemnenda. circa defectum tamen menstruorum revocanda in mentem sunt ea, quæ superiori quæstione annuebam, videndumque, num defectus sit ob majorem ætatem, vel ob humorum, & corporis vitium, cum in uno casu facilius, quam in alio sit foeminam concipere.

S V M M A R I V M.

- 1 Frigiditas dicitur.
- 2 Frigiditas à Natura esse potest, & à morbo.
- 3 Maleficiati qui.
- 4 Differentia prima inter Maleficiatum, & Frigidum, reprobatum num. seq.
- 6 Maleficiati possunt quoad omnes feminas maleficiari.
- 7 Secunda differentia inter Frigidum, & maleficiatum, reprobatum ibid.
- 8 Frigiditas nonnulli Veneream exercent, sed semen effundere non possunt.
- 9 Frigidorum plures differentie.
- 10 Impotentia nonnulli antequam ad opus perveniant semen effundunt.
- 11 Frigiditas dici non potest, qui aliquo modo polluitur, declaratur ut num. seq. & num. 16.
- 13 In Colicæ resolutione impeditur tum erectio ipsius, tum etiam seminis excretio.
- 14 Frigiditas inter se multum differre rationi consentium.
- 15 Tertia differentia inter Frigidum, & maleficiatum, reprobatum ibid.
- 17 Frigidum à maleficiato distinguere operosum est.
- 18 Frigiditas nonnulli pro Frigiditate judicari certo possunt, maleficiati vero nullo pro certo maleficiati.
- 19 Frigiditas à maleficiato quomodo distingui possit.
- 20 Frigiditas probatur ex Inreconsultis per corporis aspectum, declaratur ut num. seq.
- 22 Frigiditatis signa.
- 23 In Frigiditate nunquam erigitur membrum, falsum.
- 24 Animal stimulaturn ad coitum ex seminis urgentia.
- 25 Testes in feminis generatione principatum obviunt.
- 26 Spadones, quibus superior testicularum pars in scitio-ne relicta est, generare possunt.
- 27 Signis manifestis Frigiditatis præsentibus, non est de maleficio dubitandum.
- 28 Coeuntes, sed semen non emittentes, aut in parva quantitate, & nullius considerationis, an matrimonium contrahere possint.
- 29 Coitus alio tendit ad ulteriorem finem.
- 30 Mulier potest à viro corrumpi, & tamen matrimonium non tenere ex capite impotentie.
- 31 Frigiditas non cadit in mulieres ex Inreconsultis.
- 32 Mulier semper ad coitum prompta est, quantum est ex parte sui.
- 33 Frigiditas passioni obstrare non videtur.
- 34 Mulier non secus ac vir Frigida esse potest.
- 35 Frigida mulieres, que dicenda.
- 36 Per que signa probatur Frigiditas in muliere.
- 37 Naturalis Frigiditas est irreparabilis.
- 38 Magnæ causæ que.
- 39 Scitio vinarum existentium post aures cum sterilitatem faciat.

- 40 Frigiditate naturæ probata, illico matrimonium dirimitur, non expectato triennio.
- 41 De particularibus non datur scientia.
- 42 Viri solum ex maleficio fiunt ad coitum impotentes.
- 43 In dubio, num viri potius Frigidus sit, quam maleficiatus, præsumptio debet esse Frigiditatis.
- 44 Præsumptio semper est ex parte causæ, que magis est prompta ad agendum.
- 45 Viri cur frequentius, quam mulier maleficio tenentur.
- 46 Modi, quibus Dæmon impotentes viros reddit ad coitum.
- 47 Maleficio duplex.
- 48 Medicamenta quædam coitus impotentiam faciunt.
- 49 Maleficio supernaturale quibus modis procuratur.
- 50 Maleficio verbis, sigillis, figuris, visis, & hujusmodi aliis rebus procurari non potest.
- 51 Media, quibus maleficiati à Dæmone ligantur.
- 52 Arnaldus, Conciliator, & Cardanus notantur.
- 53 Veneficium non fit absque Dæmonis opera.
- 54 Signa maleficiati remissive.
- 55 Naturale maleficio remedium non caret.
- 56 Supernaturale maleficio naturalibus remediis curari non potest.
- 57 Maleficio supernaturale nullus curare potest, nisi sit Dæmonis artis peritus.
- 58 Ex animi passione nonnulli redduntur ad coitum impotentes.
- 59 Præsumptio impotentie coeundi potest haberi in eo, qui intense odit, vel amat intense uxorem.
- 60 Impotentia consurgens ex odio, aut amore effrenati, tempore evanescit.
- 61 Amor tempore effervescit, odium ejusdem beneficio mitescit.
- 62 Consuetudo concinnat Amorem.

De Frigidis, & Maleficiatis.

Q V A S T I O V.

1 Frigidis dicuntur, qui in ætate habili ad veneream exercendam omnino sunt inepti: neque enim Pueri ante quam ad pubertatem accedant, eo quod inepti ad coitum sunt, frigidi dicuntur; neque item frigidi proprie dicendi mei sententia essent decrepiti, etiam si vere ob frigiditatem, vel potius ob nativi caloris depauperationem coitum exercere non possint, sed lato tantum modo potest & ipsis frigidi nomen aptari, licet contrarium sentiat Aug. lib. 10. conf. & Epist. Medic. cap. 2. cap. 7.

2 Sed hoc vitium potest & à Natura esse, & à morbo, quia ea intemperies frigida feu partium sit, seu totius, ab utero aliquando contrahitur, interdum etiam ab accidenti superadvenit. ii vero, qui à Natura hujusmodi vitium patiuntur, nunquam, aut de raro admodum, usum venereorum experiuntur, qui autem à morbo, aut alia quavis accidentali causa, ante ejus quidem causæ accessum erant, ut cæteri homines, ad coitum potentes, mox ab ejus adventu ad eum inepti facti in posterum sunt, ut Scythis ob assiduam equitationem evenire tradebat Hipp. lib. de Aer. Ag. & loc.

3 Maleficiati porro sunt, qui vel ob malorum medicamentorum applicationem per se, vel arte, & Dæmonis auxilio adjuncto, redduntur ad Veneream impotentes, vel alia quavis noxa afficiuntur. Sed nobis pro nunc de prioribus tantum differendum.

nis, cap. 7. & inter Inreconsultos Capella Tolosana, quæst. 35. nu. 1. & adducti per August. Barbol. col. lect. DD. lib. 4. tit. 15. cap. ult. nu. 10. Tom. 2. distinguentes inter frigidum, & maleficiatum, dicebant frigidum non posse cum aliqua muliere coitum exercere, maleficiatum cum omnibus posse, præterquam cum una. Sed hæc differentia non est semper vera, nec generica, complectens omnes, qui ad coitum non sunt apti ob frigiditatem, aut maleficiatum, & inter hos, aut illos enumerandi; quia ex maleficiatis etiam nonnulli sunt, & esse possunt quoad omnes mulieres maleficiati, ita ut ad nullam omnino arrigant, quin & alii ex eis sunt, & esse possunt, qui ad nullas arrigant præterquam ad unam, ut ex ipso Cardano patet.

Neque etiam vera est altera differentia allata ab eadem Capella Tolosana. ibid. nu. 2. & à Barbol. ibid. nu. 11. quod nimirum frigidus à maleficiato differat, quia frigidus virgam non erigit, maleficiatus maxime, sed cum ad opus appropinquat, membrum flaccescit, ac desinit, ut ut coire non possit. non est inquam vera, neque universalis hæc differentia, quia nonnulli ex frigidis sunt, qui non solum arrigunt, sed etiam veneream utcumque exercent, sed semen non possunt effundere; frigidorum enim, teste Cardano ubi supra, plures sunt differentie, aliquibus enim Penis nullo modo arrigitur, aliis arrigitur quidem, sed cum paululum pertractatur, elanguescit; nonnulli sunt, quibus ulque ad opus in erectione perdurat, immitti tamen in uterum non potest, præsertim si prægrandis sit, & vas femineum angustius; alii sunt, ut dixi, qui veneream quidem exercent, arrectum membrum in uterum impingendo, sed semen, quantumcumque laborent, nullo modo emittere possunt, & de his mentionem quoque habet inter Inreconsultos, seu Canonistas Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 93. nu. 7. & ex nostris Constantius, ex quo Bayer. conf. incipien. In nom. Individ. Trinit. in 1. concl. quod licet de raro contingat, ut ipse Cardan. ibidem testatur, apud Aetium tamen Terrabil. form. 3. cap. ult. is casus narratur, & alias non dissimiles historias videre licet apud Schench. lib. 4. Observat. sit. de coitu, immo plures hoc vitio laborantes testatur, se vidisse Petrus Forest. Observat. sua. lib. 28. obs. 18. in schol. & concedit etiam Mercat. de steril. & prægn. aff. lib. 3. c. 3. Connumerat quoque inter frigidos Cardanus eos, quiantè quam ad opus perveniant, semen effundunt, 10 de quibus etiam ex Canonistas Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 92. nu. 8. quod si tales inter frigidos connumerandi sunt, falsa omnino erit illorum sententia, quam referebat idem Sanchez ibid. disp. 94. nu. 5. qui voluerunt non esse frigidum illum, qui aliquo modo polluitur, cujus opinionis videtur inter Medicos Aug. lib. 10. conf. & Epist. Medic. cap. 7. Tom. 2. frigidus eos tantum dici vult, qui semen non generant, ego quidem hanc sententiam licet non omnino approbandam, tamen neque undequaque repugnandam censeo. nam eos qui arrigunt, & semen effundunt antequam ad opus perveniant, impropiissime frigidus vocari dixerim, immo promptius eos calidos & salaces, quam frigidus vocaverim, cum ex nimia caliditate, & seminis ipsius acrimonia ac pruritu id evenire possit, quamquam etiam ex fervore amoris, & acutioribus veneris stimulis id ipsum possit contingere.

Sed quod nullas, qui semen quoquo modo effundat, reponi debeat inter frigidos, mihi absolute non probatur, sunt enim nonnulli, ut Bayer. ex ij. M. 2. Constant.

Constant. refert. *conf. alius cit.* qui excitantur quidem ad Venerem, & semen etiam emittunt, si vel Penis diutius manibus tractetur, vel in mulieris amplexibus arcte, ac multum commorentur, tamen erigere non possunt, idque vel ob ipsius Penis resolutionem, vel ob frigiditatem genitalium partium vel omnium, vel aliquarum, ut Practici docent. Pifo de *car. morb. lib. 3. cap. 47.* hos autem ego absque dubio inter frigidos connumerandos cenſeo, cum nihil interfit, an semen effundant, nec ne, si coitum ob frigiditatem exercere minime valeant. tam-
 13 etū vero Act. *serm. 6. cap. 35.* dixerit, in Colis resolutione impediri non modo coitum, sed etiam feminis excretionem, quod facere partim videtur pro contraria sententia, respondendum tamen, Actii dictum non habere locum in omnibus, sed in iis tantummodo, in quibus una cum Pene vicina quoque partes, & vasa tam deferentia, quam concoquentia, & ejaculantia affecta sunt; nam potest Penis ex se resolvi absque resolutione prædictarum partium, cum habeat proprios musculos aliis partibus non communes, habet quoque proprios nervulos, licet superficarios.

Sed ad principale punctum redeundum, rationi
 14 consonum est, frigidus inter se multum differre, & alium altero minus aut magis ab hac vel illa actione, in Venerem exercenda requisita, prohiberi; quia cum eam inceptitudinem ex frigidiori intemperantia vel totius, vel partium nonnullarum patiantur, necesse est, eam intemperantiam plures, aut pauciores gradus fortiri, cum multam habeat latitudinem, juxta quos gradus hunc, aut illum arrigere, aut non arrigere, aut multum, aut parum in erectione persistere necesse est. immo nonnullos adnotare licet, qui recte ut alii Venerem perfecte exercent, sed si uterum angustiores offendant, coitum perficere nequaquam possunt, quod illis præ caloris inopia evenit, ob quam deficit virtus ipsius membri, quod neque ita dureſcit, ut tibi per angustiores semitas sit vi erupendum, ad opus sufficiat, habent enim cor frigidissimum, à quo membrum erigitur per spiritum ab ipso per arterias immisso; hos ego semifrigidos recte dici posse credo, de quibus quoque Sanchez ubi alias *disp. 93. num. 4.* ex Alberto mentionem habet.

15 Apparet etiam ex prædictis fallam quoque esse tertiam differentiam inter frigidum, & maleficiatum ab eadem Capella Tololana allatam, nimirum quod maleficiati semen emittant, frigidi autem nequaquam; nam præter eos, quos diximus absque Penis erectione semen effundere, alios etiam esse constat frigidos, qui & arrigant, & semen effundant, sed, ut superius dixi, antequam ad opus pervenire possint; licet autem tunc dixerim id interdum à caliditate provenire, & idcirco tales impro-
 16 priissime vocari frigidos, tamen nonnulli ex iis ipsi sunt, & quibusque debitis conditionibus dotatum, & hos minime recte vocari frigidos dico; alii tamen qui eodem modo semen effundunt, sed quantitate modicum, & fluidum, & infecundum, omnique laudabili qualitate destitutum, non absque ratione frigidi & ipsi dici possunt, quia à diminuto calore partium semen concoqui non potest, si modo feminis nomen materia, quam effundunt, mereatur.
 17 Ex quibus insuper facile deduci potest, admodum operosum esse distinguere inter frigidum, & maleficiatum per aliqua particularia signa, ut nonnulli vo-

luerunt, & hoc dico universaliter loquendo, illud veritatem habet, frigidus aliquos pro certo pro frigidis cognosci, & pro frigidis pronuntiaris, maleficiatos vero nequaquam, quia non habent hi quicquam peculiare, per quod à frigidis distingui possint, (quamquam nonnulla afferantur à Codronch. de *morb. Venef. lib. 3. cap. 13.*) nisi, ut ipse Codronchius 19 docet, absentiam eorum signorum, que frigidum hominem denuntiant, ubi enim omnia signa adessent, quæ vividum calorem in viro demonstrare solent, ut recta, & naturalis partium conformatio, & constitutio, situs, habitudo, pili requisiti in consuetis locis, & his non absimilia, potentia prægressa per antea-
 20 ctam ætatem, si dehinc vir hic ad coitum impotens fiat, neque ulla evidens causa, neque morbus ullus prægressus fuerit, qui id potuerit efficere, suspicari facile licet, maleficium subesse, alia vero signa, ad id dignoscendum tradita, neque facile observari possunt, nec quicquam certi edocere.

Cæterum Iureconsulti voluerunt, frigiditatem
 tam in viris, quam in fœminis per corporis aspectum 20 probari, ut notat ex pluribus Mascard. *conclus. 816. num. 1. lib. 3.* quod tamen non de omni frigiditate 21 verum est, sed de ea tantum, quæ ab interiori, naturalique frigida intemperie provenit, ob quam ea signa pullulare necesse est, quæ frigiditatem ipsam manifestissime commonstrant, ut deinceps videbimus. Itaque ubi ea signa adfuerint, tuto sententiam ferre possumus de præſenti frigiditate; non tamen etiam illis absentibus signis negandum est, frigiditatem nullam adesse.

Signa igitur, quæ ex naturali, & intensa partium principum, præcipue autem genitalium frigiditate sese produnt, hæc sunt: paucitas pilorum, aut omni-
 22 moda carentia in inguinibus præcipue, tam in viris, quam in fœminis, & in viris etiam in barba; pilorum enim preventus ex caliditate excitatur, secundum signum est partium non naturalis conformatio, ut membrum aut nimis exiguum, aut nimis prægran-
 23 de, exiguitas enim & materia paucitatem, & virtutis imbecillitatem, magnitudinem luxuriantem materia, & calorem obruentis affluentiam denotat. Tertium ejusdem membri etiam optime conformati flacciditas, & inexcitabilis mollities, veluti decrepitis accidit, de quibus Iuven. Sat. 10.

--- *Laetæ exiguis cum ramice nervus.*

Et quamvis tota palpeum nocte, jacebit.

ant quod etiam si tantisper erigatur, minimum tem-
 24 poris in erectione perdurat, sed confestim elanguescit. nam non est verum in omnibus frigidis id, quod Sanchez de *matrimon. loco sapius citato disp. 94. num. 6.* dixit, quod in illis nunquam membrum erigatur, hoc enim late superius demonstratum est esse falsum. Quartum averſio quedam connaturalis à commercio venereo, & à quibusvis veneris rebus, cum enim frigidi semen aut non generent, aut quantitate exiguum, & prævæ qualitatis, tenue nempe, & aquosum, nullisque pæne spiritibus turgens, neque sua quantitate, neque qualitate excitare potest ani-
 25 mal ad sui excretionem; turgente enim, & superabundante semine, quod laudabile fit, omnino animal ad ejus excretionem excitatur. Quintum signum est Testium carentia omnimoda, aut eorum parvitas, aut etiam incongrua magnitudo, aut non naturalis situs, hæc enim caloris naturalis pauperiem, & consequenter imbecillitatem virtutis testantur. nam Testes in feminis generatione, si 25 ve perfectione principatum obtinent, ut Medici omnes

omnes exsistunt contra Aristotelis opinionem, qui illis vim feminis generativam denegavit 3. de *hist. anim. cap. 1.* quem refert inter Iureconsultos Carrar. de *Med. & ejus off. par. 1. num. 137.* & inter Medicos Laurentius Anatom. *lib. 7. quest. 2.* qui in questione sequenti Medicorum opinionem tuetur, & Aristoteli respondet. hoc dico quia non tantæ necessitatis essent ad fecunditatem, & ad coeundi potentiam ipsi testes, si Aristotelis opinio veritatem haberet, pro qua tamen maxime faceret id, quod Hollet. *sect. 5. Aphor. 63.* dicebat, nimirum Spadones quosdam generare posse, quibus superior testiculi pars relicta in sectione fuerit; juxta quam experientiam videretur, testes ad feminis consecutionem non requiri. firmaret hoc ipsum quod ipse Arist. *cit. loco 3. de hist. anim. & Columell. 6. de re Rust. cap. 27.* dicebant, boves non protinus à castratione generandi potentiam amittere. sed hæc pro nunc indecisâ relinquamus.

His signis ergo, aut eorum pluribus potioribusque præsentibus, frigiditatem quoque præſentem esse judicari potest, quæ neque in dubio revocanda
 27 tum temporis est, nam ex maleficio contingat, nec ne, quia ob hanc frigiditatem ex his signis conclusivissime probatur, absque dubio separari illico matrimonio potest, non expectato triennio. Brunell. de *Spons. & matrim. concl. 28. num. 16.* Mascard. *concl. 312. n. 16.* quia talis frigiditas cum conspicua sit, ope medica reparari ullo modo non potest, ut Medicis est notissimum, quorum auctoritates, sibi libet, vide apud Practicos in *cap. de Impotentia Venerorum, & de sterilitate.*

Atque hinc eliciendum, male Iureconsultos culpaſſe Roderic. à Castr. *lib. 3. p. 2. de morb. mul. c. 2.* quod voluerint, frigidum, separato matrimonio cum ea cum qua contraxerat, non posse cum alia contrahere; maleficiatum vero maxime, ex eo quod frigidus uni sit etiam frigidus alteri: nam, inquit ille, hæc postrema pars non est vera, quia multi sunt frigidi cum una, & non generant, cum alia tamen generant. Sed certe Rodericus transcendit ab impotentia coeundi, ad impotentiam generandi; nam Iureconsulti non vocant frigidum impotentem ad generandum, sed impotentem ad coeundum, & sic si est impotens ex defectu naturali, aut quomodocunque quis cum una, erit etiam cum alia.

28 Potest autem ex dictis dubium insurgere hujusmodi: Nam cum aliqui sint ex frigidis, ut supradictum non semel superius est, qui coeunt quidem, non tamen semen emittunt, aut emittunt quidem, sed in quantitate nullius considerationis, & qualitate tenue, & aquosum, & in summa minime prolificum, dubitari potest, an hi valide matrimonium contrahant, quod videantur posse carnaliter committeri, & sic matrimonium consummare. Ad hoc dubium, salva præteriorum sententia, negative re-
 29 sponderem, & ratio est, quia cum actus coitus tendat ad ulteriorem finem, nempe ad feminis emissionem, cum spe quoque futuræ generationis, jam patet in his actum illum suo fine frustrari, & sic non poterunt forte tales valide matrimonium contrahere. sed hoc Canonistæ decidunt, quibus in omnibus me remitto, non enim ego hæc affererent dico, sed solum per modum dubitandi, & ea ductus ratione, quod neque Eunuchi, qui eodem modo Venerem exercent, & aquosam quandam humiditatem in coitu emittunt, matrimonium contrahere possunt, immo contractum ex hoc dirimi potest, ut ex Con-

stitutionibus Pontificiis elicere licet, & notat Barboſ. in *Collect. Doctar. lib. 4. tit. 15. c. 5. n. 11. Tom. 2.* non obstante quod Navarra *lib. 4. conf. tit. de frigid. & malef. conf. 3. num. 11.* contrarium teneat.

Ex hoc apparet, si modo vera nostra sententia est, posse mulierem à viro fuisse corruptam, & tamen matrimonium ex capite impotentiae non tenere, & idcirco de hac frigiditatis specie esset quidem particularius considerandum à Iureconsultis; nam ego, ut dixi, hos in eorum censu haberem, qui Eunuchj nascuntur, non enim majorem utrumque genitalium habent illi, quam hi, qui autem pro nostra sententia auctoritates in hac questione desiderat, videat Sanchez. *cit. lib. 7. disp. 92. num. 7.*

Sed cum plura de virorum frigiditate attulerim, vix quicquam de mulierum frigiditate me tetigisse memini. de qua tamen peculiariter sciendum, voluisse Iureconsultos, & Canonistas eam non cadere in mulieres: mulier enim quantum est ex parte sui, 32 semper ad coitum est prompta, neque ad illum exercendum impeditur, nisi uterum oclusum habeat. Ita quoque ex Medicis Mercurial. *lib. 4. de morb. mul. cap. 10.* causam vero cur mulier frigida non fiat, ex D. Thoma recitat Sanchez ubi supra *num. 1.* & Mercur. *ibid.* ea autem est, quod cum mulier patiens in coitu sit, frigiditas passioni obſtare non videtur; 33 neque enim calor requiritur ad patendum, quem admodum ad agendum. Adnotandum tamen, quod si assumamus frigiditatem, quatenus impedimento est celebrationi conjunctionis carnalis, verum est, eam non cadere in mulierem; sed si consideremus frigiditatem, quatenus obſtare possit consummationi illius actus ex parte ipsius fœminæ, nempe quod cum nulla voluptate coeat, cum nulla partium ten-
 34 sione, cum nulla feminis emissione, mulier non secus ac vir frigida esse potest; nam quemadmodum frigidus viros dicimus, quibus membrum non erigitur, sic etiam frigidas mulieres dicemus, quantum 35 est ex hoc, quibus uteri cervix in actu coeundi nunquam tenderetur, aut carunculae in ea existentes non tumescerent, ut cæteris, quæ cum voluptate & desiderio coeunt, ferri solet; tenſio enim uteri respondet erectioni Penis, & quemadmodum vir etiam si erigat, & semen non emittat, frigidus vocandus, ita etiam mulier, quæ semen non emitteret, frigida esset dicenda; sic, etiam si semen emitteret, sed paucum, & nullius considerationis, (quod tamen neutiquam sciri potest) posset mulier cum his viris frigidis comparari, de quibus jam superius diximus, ferre semen nullius valoris, & modicum. Ergo licet mulier nunquam pæne impediri possit, quin coitum admittat, impeditur tamen ex frigiditate, ne cum voluptate, & membrorum tensione coeat, ne semen excernat, aut paucum, tenuius, & aquosius quam par sit, ut de viris diximus, immo etiam ne omnino intra se semen generet, tandemque ne ad generationem habilis sit; talis autem frigiditas in mulieribus ex omnibus signis, earum tamen propriis, quæ frigiditatem in viris attestantur, probari poterit, de quibus etiam cum aliis ad hoc ipsum facientibus questione octava plura dicemus.

Sciendum tamen, mulieris frigiditatem nulli rei posse esse impedimento quoad matrimonium valide contrahendum, cum ex hoc non impediatur, quin debitum reddere marito possit. Sannazar. de *matrim. cap. 3. art. 4. num. 11.* nisi obſtet impotentia generandi.

Cæterum sciendum, quod aliis annuimus, omnem nam

nem naturalem frigiditatem ut plurimum saltem esse irreparabilem, accidentalem autem non esse semper absque remedio, sed tunc solum cum ex maximis, & validissimis causis ortum habuerit, & diu jam perduraverit; magnæ autem causæ erunt, exempli gratia, longi ac difficiles morbi, valida capitis, vel cervicis, vel spinæ percussio, larga sanguinis evacuatio, & ultra vires facta, sive illa arte, sive à morbo fiat, præcipue autem ex quibusdam venis, ut ex iis, quæ sunt post aures, ex quarum sectione non modo reddi hominem infæcundum ajunt Hippocratis auctoritate in lib. de Genit. & alibi, sed etiam ad Venerem ignavam & impotentem, ut Alex. Bened. ex aliquorum doctorum testimonio firmat lib. 24. sua præf. cap. 12. de hac tamen re plenissime Nancel. in Analog. Microc. ad Macro. lib. 10. problem. 1. Sic eisdem effectus produceret larga sanguinis evacuatio per venas facta, quæ ad anteriorem tibiæ partem juxta malleolos feruntur, auctore eodem Hippocr. in lib. de loc. in Hom. non longe à princ. sed unde harum venarum sectio tales producere potest effectus? an quia prior cerebrum principem nimirum partem, & feminis primum opificem, posterior renes, Hepar, & genitalia promptissime, ac insigniter refrigerat? sed Hippocrates loco superiori de Genitura voluit, quod plurima genituræ pars à capite juxta aures in spinalem medullam procedat, & quod ipse transitus cicatrice sectione inducta consolidatus sit. Sententiam tamen Hippocratis locum habere putaverim in totali sectione, & fortasse non venarum, sed articularum, vide tamen de hac re Langium Epist. lib. 1. Epist. 10. & Steph. Roder. Castr. in opusc. cui tit. Quæ ex quibus. lib. 4. cap. 5.

Ob difficultatem ergo, immo impossibilitatem sanandi naturalem frigiditatem, ea probata, illico matrimonium dirimi posset, ut dixi; ad accidentalem vero probandam multum faciet, si probentur præcessisse prænominate antecedentes causæ, & alie non ab similes, quarum magnitudo, & noxa, & perseverantia à Medico consideranda erit, & secundum hanc considerationem decidendum, an removeri ope Medica possit, nec ne; in particularibus enim ad Medici judicium recurendum omnino est, quia de talibus non datur scientia. Arist. 2. Ethic. 2.

Sed cum jam abunde, ut mihi videtur, de frigidis locuti simus, de maleficiis sermo nunc instituentur; de quibus ante omnia venit peculiariter adnotandum ex Fortunato Fideli lib. 2. de relation. Med. cap. 2. quod viri solummodo ex maleficio redduntur ad coitum impotentes, mulieres autem nequaquam, vel saltem frequentius viri, quam mulieres, ut adnotat quoque Delrius lib. 3. disquisit. Magic. quest. 4. sect. 8. & Torreblanca in Epitom. delict. lib. 2. cap. 42. num. 16. licet è contra plures mulieres, & frequentius Dæmoniacæ evadant, quam viri; quod etiam innuere videtur Hippocrates in lib. de Virginit. & tamen crediderim ego, quod ubi in dubium vertatur, an vir ex maleficio, vel ex naturali potius impedimento impotens sit ad carnalem copulam, semper præsumptio debeat esse impedimenti naturalis, seu frigiditatis, cum frequentior, & magis naturalis causa existat, præsumptio autem semper esse debeat ex parte causæ, quæ magis naturalis est, & magis prompta ad agendum. Favet Savonarol. in præf. magn. tractat. 6. cap. 20. rubr. 2.

Sed cur vir frequentius pluribusque modis maleficio tentatur, quam mulier? an quia non excedit,

neque excedere potest Dæmonis vis causarum naturalium virtutum, nec ulterius quam ex possint, quicquam machinari potest? cum ergo dixerimus, virum ex causis naturalibus multipliciter reddi ad Venerem impotentem, mulierem vero ex unica tantum causa, nempe ex arctatione & coangulatione Vulvæ, Dæmon eis solummodo causis utens, frequentius viros & plurifariam quam mulieres maleficio illaqueare solent.

Verumenimvero modi, quibus Dæmon utitur ad viros impotentes reddendos, plures enarrantur ex nostris Codronch. lib. 3. de morb. venef. cap. 5. & ex Canonistis Torreblanca in Epitom. delict. lib. 2. c. 42. num. 7. & lib. 2. Dæmonolog. c. 42. per totum. & sequentibus sex enumerant. Delrius autem ubi supra, & ex ipso Sanchez de matrimonio, lib. 7. disp. 94. nu. 2. & Guacius in comp. Malef. lib. 1. cap. 4. septimum addunt, qui tamen ad mulierem pertinet, & est coarctatio, & clausura Vulvæ per ipsum Dæmonem procurata; sed hos modos qui scire desiderat, apud præcitatos auctores eos reperiet.

Adnotandum ulterius duplex dari maleficio, & 47 unum quidem simpliciter naturali medicamento procuratum, quod proprie veneficium dicitur; nam licet ego nugas non admittam relatas per nostrum Arnaldum Villanovanum, ex quo inter Iureconsultos referuntur à Ioan. Brunell. de sponsal. & matrim. conclus. 28. num. 7. tamen illud pro certo asserere non dubitandum, dari quædam medicamenta, quæ ex naturali quadam earum virtute coitus potentiam adimant. Mentam Hipp. 2. de vitæ. rat. semen genitale fluidum facere, & membri erectionem prohibere docet, de qua Tiraq. de leg. conn. l. 15. m. 46. ubi & alia similia affert. mirabile est quod de Ruta, & Thymo, & aliis nonnullis medicamentis refert Lemn. de Complex. lib. 1. cap. 10. nimirum coitus appetitum in viris extinguere, in feminis accendere. in utriusque autem Rutam, sed præcipue in femina impedire generationem testis est Ruell. lib. 3. de nat. stirp. cap. 37. sed & de Coriandro, & Pulegio Gal. de med. fac. par. cap. 56. refert, quod frequenter in usum convocata semen fluidum reddant, ubi etiam alia medicamenta describit id operantia, ne cui Penis erigi possit.

Tritum est quod de Lactuca Medici omnes docent, eam nimirum reddere ad coitum hominem impotentem, & Veneris stimulos demulcere, unde idcirco Eunuchum appellari à Pythagoricis ex Ibi-co Pythagorico refert Athenæus Diposoph. lib. 2. cap. 32. apud quem circa idipsum de Lactuca vide nonnulla scitu jucundissima, ex quo Tiraquell. ubi supra.

Plura insuper his non dissimilia veneficia recenset Isaac. Præf. lib. 8. cap. 29. quæ tamen ego crediderim magna ex parte vana esse, neque effectum correspondentium, si in præctam convocentur, auctor tamen ille gravis, & fide dignus ab omnibus habetur; sed fides earum rerum apud ipsum esto. habet etiam ibi remedia ipsius maleficiis non dissimilia. Cardanus quoque apud Schenck. lib. 4. Obfer. tit. de utriusque Elotoma, viros longo viticis usu, feminas Periclimeni Eunuchas reddi tradit; hoc est ad venerem, & conceptionem ignavas, & impotentem. Dixi alias lib. 2. titul. 3. quest. 6. num. 10. quemdam ex camphoræ assumptione ad Venerem impotentem effectum, & de Egyptiis Sacerdotibus retuli, quod modica cicuta sorbitio se castrabant; cuius rei etiam mentionem habet Petr. Crinit. de honest.

de honest. discipl. lib. 4. cap. 10. quin etiam omnia frigida venena, ubi non occidant, hoc proprium habere certum est, præcipue autem vel in teneriori ætate, vel in jam declinante assumpta; in illa enim ob exuberantem humiditatem, in hac ob deficientem calorem maxime noxia non hæc sola venena sunt, sed quæcumque absque venenositate summe refrigerantia existunt; quæ in hac declinante feilicet ætate maxime ab iis evitanda sunt, qui magis strenue venerea exercere volunt; in his autem nulla Naturæ vis infertur, sed omnia naturali via, ac ordine incedunt.

Alterum porro maleficio multiplici instrumento, ac ratione fit, de quibus omnibus qui plura scire desiderat, legat ex Iureconsultis, & Canonistis Ioann. Brunell. de sponsal. & matrim. conclus. 28. num. 7. ubi omnia ex Arnald. Villanovan. transfert Spreng. in Mall. Malef. par. 2. quest. 1. & cap. 6. & sequentibus. Delr. lib. 3. disquisit. par. 1. quest. 1. Torrebl. Dæmonolog. lib. 2. cap. 42. & alios de simili materia pertractantes, & ex nostris Codronch. de venef. lib. 3. cap. 5. & Hucher. de sterilit. lib. 4. ad nos enim non spectat hos modos patefacere. illud scire operæpretium est, neque nudis verbis, neque que sigillis, aut annulis, neque simpliciter visu, neque suspensis, vel periaptis, sive amulectis, neque characteribus, neque figuris, neque medicamentis ullis, quæ talem vim à Natura non habeant, maleficio ullum procurari, quod vel tacito, vel expresso pacto cum Dæmone, & ejus virtute non procuretur, cujus conclusionis veritatem demonstrant ex nostris Champer. in Annotat. contra Aponeusem. Codronch. loco citato. Hucher. ibidem. & Laurentius de mira strumar. sanar. lib. 1. & ex aliis Delrius lib. 1. disquisit. quest. 2. & sequentibus, cum multis per eum adductis. Virus de fascino lib. 2. licet sciam doctissimos quosdam tam Philofophos, quam Medicos, quorum nonnullos notat Delrius ubi supra, credidisse dari etiam quædam naturalia maleficia, non iis similia, quæ naturali quadam dote aliquid operari superius annuimus, sed quæ ut posteriora noceant, absque eo quod ulla Dæmonis virtus intercedat; hæc autem esse posse tam simplicia quædam verba, quam nonnullas figuras, aut aliquos characteres, quin & medicamenta quædam non tam per os assumpta, quam collo appensa certis temporibus, & conditionibus circumstantiisque collecta, & certis quibusdam corporis partibus alligata, ex quorum vi & morbi quidam excitentur, & noxæ aliquæ præcipue vero venereorum ignavia, & è contrario iis ipsis interdum bona hominibus concilientur, cuius credulitatis præter cæteros notandi veniunt Arnaldus Villanovanus, & Conciliator Petrus Aponeuse, merito à Symphoriano Champerio erroris notatus, & inter recentiores Cardanus, cujus credulitas ad derisum usque deducta est. Alia vero ex parte Mercurialis sive præf. lib. 3. cap. ult. non ausus est affirmare, hæc maleficia possit utcumque executioni demandari, rationem suæ sententiæ reddit, quia nullus probatus scriptor, neque ulla ratio id persuadere potest; si tamen ille inter probatos auctores Plinium, Trallianum, Aëtium, aliosque ex veterioribus Medicis, & ex Historicis Tacitum, & alios admittere non dedignatur, meminisse debuit, eos serio de his locutos; neque Fernellii assertionis immemor esse debuit lib. 6. Patbol. cap. 13. ubi hæc habet: Coeundi impotentia fit aut quia extincta vitalitate semen non gignitur intus, aut quia emitti

non potest, extinguitur ex senio, ex morbo, ex causis omnibus, quæ insitum spiritum, roburque dissolvunt, & incantamentorum (neque enim fabula est) maleficiis, quibus addenda quæ 2. de Abd. ver. causis cap. 16. attulit. alios præterea auctores probatissimos, fidem incantamentis & maleficiis habentes, recensui loco proxime citato.

Ego quidem absque commemorata conditione, 53 nimirum quod vel mediate, vel immediate ex Dæmonis opera fluant, talia non admiserim, & hoc pacto interpretanda quæcumque extant Catholicorum Doctorum testimonia, Maleficia & incantamenta aperta fronte negantium, non enim ea naturaliter dari volunt, ut etiam forte voluit doctissimus Mercurialis. Porro si quis signa desiderat, ex quibus deprehendi possit hominem maleficio detineri, 54 adeat ex Canonistis Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 94. nu. 6. & ex nostris Codronch. lib. 3. de morb. Veneficis cap. 13. Augen. autem lib. 19. Epist. & conf. Med. conf. 2. cap. 5. Tom. 2. ex absentia impedimenti naturalis arguit maleficio.

Cæterum prioris generis maleficio (quod naturale appellare ab re non est, sicuti posterioris generis supernaturale) non ita omnem curam respicere censendum est, ut aliquando non possit arte Medica removeri; non dico semper, quia si exempli gratia usus maleficorum medicamentorum longus fuerit, & æger in ætate sit senili, & temperamenti frigidi, viribusque imbecillibus, hic certe curari non poterit, contra si esset in ætate florenti, aut juvenili, viribus constantibus, & temperaturæ non excedentis saltem in frigiditate, tunc non esset omnino difficile, ut contrariis medicamentis adjunctis sanitatem recuperaret; idcirco cognito maleficii genere, & examinatis prædictis conditionibus, Medicus facile pronuntiare poterit, quid sperare, quid temere de hoc aut illo laborante nobis liceat. Verum 56 enimvero supernaturale maleficio, quod nempe Dæmonis virtute fit procuratum, vix crediderim admittere naturalem curationem, unde recte illud pronuntiasse existimaverim Ghirland. de Sortileg. quest. 2. num. 40. quod tale maleficio nullus curare possit, nisi qui Dæmoniacæ artis peritus sit; nam cæteræ quæcumque artes in hoc incassum laboraverint, ut ipse firmat, non negaturus tamen exorcismis, & Ecclesiæ cæremoniis & precibus hæc facili negotio superari posse.

Pro corollario autem hujus quæstionis illud tam Legumperitis, quam Medicis in mentem redigam, quod nonnulli ob aliquam animi passionem, ut alias dictum est, redduntur ad coitum impotentes, & 58 tunc ad eam non advertentes, falso credunt se maleficio tentatos fuisse, quod animadverterunt Savonarol. in præf. magn. lib. 20. tract. 6. rubr. 27. & Cardan. lib. 12. de subtil. & alii. idque præcipue amantibus evenire solet, ut idem Cardanus recenset ibid. lib. 13. in princ. nam vel ob ipsum efferevissent Amorem, vel quia coram Amata erubescunt, ad Veneris actum devenire non possunt, verecundia enim est maxima causa Impotentia, ut ex Avic. Baveri. conf. incipiente: In nomine Dei, &c. concl. 2. in fin. contra nonnulli sunt, qui ex intenso odio id ipsum experiuntur, & ex magna animi aversione, ut dixi; idcirco eliciendum ex his, quod ubi præsumptio aliqua vel Amoris, vel odii viri erga uxorem addit, facile ex ea alia laborit præsumptio impotentia coitus, quod vel ex amore, vel ex odio, potius quam ex frigiditate proveniat, sed talem

impotentiam per se ipsam evanescere tractu tempo-
ris, notissimum culibet est; amor enim tempore ef-
fervescit, & odium ejusdem beneficio mitigatur,
preterquam quod ipsæ femine etiam turpes, & ma-
ritis exolæ, suis moribus & dulci consuetudine
aliquando fe maritis amabiliores faciunt, quod Lu-
cretius prudenter adnotavit lib. 4. de rer. natur. his
carminibus:

*Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis
Deteriore fit in forma muliercula ametur:
Nam facit ipsa suis interdum femina factis,
Morigerisque modis, & mundo corporis cultu,
Vt facile infuset secum vir degere vitam;
Quod superest, consuetudo concinnat amorem.*

Itaque impotentia ex his causis proveniens, non
erit sufficiens causa separationis matrimonii, præ-
fertim ea, quæ ex nimio amore enascitur, nam quæ
ex capitali odio originem duceret, ut si quis invitum
sponsam aliquam duxisset, & dehinc odio eam ha-
beret, & licet non posset dirimere matrimonium,
posset forte causa esse separationis thori.

S V M M A R I V M.

- 1 Potentia respectiva quæ dicitur.
- 2 Potentia respectiva ex qua causa esse possit quoad
coendum.
- 3 Potentia respectiva quoad coendum an matrimo-
nium impediat. & num. seq.
- 5 Alia impotentia respectiva respectu instrumentorum.
- 6 Ex impotentia respectiva respectu instrumentorum,
an matrimonium separari debeat.
- 7 Impotentia respectiva ex habitu conjugum.
- 8 Impotentia respectiva ex conjugum habitu, an se-
parare possit matrimonium.
- 9 Impotentia respectiva ex animi passionibus.
- 10 Impotentia respectiva quoad generandum.
- 11 Impotentia respectiva generandi ex seminum discon-
venientia.
- 12 Ob impotentiam respectivam generandi matrimo-
nium dirimi volebat Plato.

De Impotentia respectiva dicta.

Quæstio VI.

Est quædam Impotentia species tam coeundi,
quam generandi, quæ non simpliciter & abso-
lute impotentia est, sed respectiva, & ob id respec-
tiva dicta, quatenus alter conjugum respectu alte-
rius potens ad coitum aut generationem non est,
cum respectu aliarum personarum ad utrumque ap-
tissimus existat, hæc autem impotentia interdum
quoque ex maleficio evenit, quo alter conjugum
impeditur cum hoc tantum carnaliter commisceri,
cum tamen non impediatur commisceri cum aliis
personis. Fitque aliquando hoc maleficio ad de-
terminatum quoddam tempus, ut ad mensem, vel
annum, vel biennium, vel triennium, vel fit ad tem-
pus indeterminatum, & sic perpetuum est; de hæc
tamen impotentia qui plura scire cupit, ad præcita-
tos auctores recurat, & videat ea, quæ superiori
questione diximus.

Cæterum impotentia hæc respectiva quoad co-
endum insurgere aliquando potest ex instrumento-
rum vicio, & disconvenientia, ut si viro existente
bene mentulato, mulier angustiore vulvam ha-

beat, hoc enim pacto impeditur inter ipsos coitus.
Baver. in cons. incipien. In nom. Dei. concl. 2. non po-
tente viro ob membri crassitatem, respectiva ad uteri
angustiam, cum uxore congressi, quod impedimen-
tum cessaret, ubi vir non esset adeo mentulatus, aut
mulier non adeo arcta, qualis casus ille est, de quo in
Pampilonen. Matrimonio apud Farinac. decis. 781.
p. 2. Tom. 2. Contra vero si mulier hiantem admo-
dum uterum habeat, & vir membrum satis exile,
congressus inter ipsos vix sequi potest, non potente
utero, ut debet, virile membrum quasi amplectari,
ut inde delectatio, & membri intentior erectio, &
feminis effusio sequatur. Verum enim vero ne utram
harum impotentiarum tantum fecerim, ut ex alteri-
us culpa matrimonii impedimentum consequi
possit, vix enim crederem, quod naturaliter con-
stituto utero, (nam posset panico obduci, aut ejus
labra præter Naturæ modum hæere) quantumvis
inigni magnitudine & crassitie Penem respuat, præ-
cipue si medicamentis relaxantibus, aliisque inge-
niis coadjuvetur: ea enim est ejus partis natura cum
naturaliter se habet, ut facillime relaxationem &
coagulationem, etiam per medicamenta, patiatur,
ut tit. 2. lib. 4. sequent. dicam. Si ergo oris uteri an-
gustia naturalem conditionem non excedat, nulla
que adfit causa præter naturam impediens Penem
ingressum, ex hac respectiva impotentia nunquam
sequi debet matrimonii separatio, quia facile repa-
rabilis est; quod multo magis habet locum in alte-
ra respectiva impotentia, quæ ex nimia uteri laxita-
te confluit, quia hæc multo magis reparabilis est,
quam illa; de quibus omnibus videnda ea, quæ as-
fert Hostien. in summa lib. 4. tit. de frig. & malef.
num. 14. & seqq. & alii Canonistæ tit. eodem, ad-
notandum tamen, quod Penes exiguitas si tanta esset
maxime respectu uteri mulieris, ut nullam volupta-
tem in coitu afferre posset, & in summa nullius pæ-
ne usus esset, posset fortasse præbere divortio cau-
sam, ut notat ex nostris Fortun. Fidel. de Relat.
Medic. lib. 3. cap. 2. & ex Canonistis Hostien. lo-
co cit. Sed altera quoque esse potest respectiva im-
potentia penes ipsorum vasorum constitutionem,
quæ tamen promptius generationem, quam coitum
impediret, licet etiam in coeundo non nihil
obesse posset; ea est si alter conjugum vas haberet
nimis breve, alter vero justo longius, qualis casus
ponitur ab Augen. ubi supra. nam exempli gratia,
si vir habeat virgam justo longiorem, mulier autem
uteri cervicem nimis brevem, tunc mulier maxi-
mopere læderetur à viri congressu, & fortasse nul-
latus illum admitteret, quia ex eo non modo do-
lorem & angustiam pateretur, quod in internum
uteri osculum membrum impingeret, sed ea res dif-
fimine non vacaret, quia tumorem, & inflamma-
tionem, & forte etiam sphacelum in utero generare
posset. Trotul. de morb. mul. cap. 30. præterquam
quod generationem etiam impediret. Augen. li-
bro 2. Epist. conf. 2. cap. 2. Tom. 2. Sic etiam si è
contra mulier collum uteri haberet satis longum,
vir autem mentulam justo breviorum, quamquam
ad coitum hoc nihil, aut parum obstat, tamen non
secus ac prior causa generationem impediret; &
licet in posteriori hoc casu nulla intercedere videat-
ur justa causa matrimonium separandi, in priori
hoc dubio non vacaret, quia præterquam quod ob
virgæ incongruam longitudinem impediretur gene-
ratio, alia insuper mala mulier facile pateretur, quæ
superius annuimus. cum aliquo interdum virgæ peri-
culo;

culo, quod tamen quia neque evidens, neque certum
est, neque hæc erit fortasse censenda justa causa se-
parationis matrimonii, maxime quia hoc impedi-
mentum non ante innotescere potest, quam ad ac-
tum coitus deveniatur, nisi de eo antea fuisset du-
bitatum, unde feret, quod difficultas insurgeret post
jam consummatum matrimonium, quo tempore in-
cassum de ejus dissolutione ex hac causa dubitatur.

Præterea potest ea impotentia respectiva fieri ex
luxuriante abdomine, vel in utroque conjugis, vel in
alterutro; ex ventris enim superabundante pinguedi-
ne occultantur quasi in utroque genitalia, præter-
quam quod etiam ipse ventris tumor impedimento
est, ne conjuges ad actum coitus pervenire possint;
ac profecto si vitium commune utrique sit, mirum
quod tam vir, quam femina adeo tumentis ventre
sint, ut copulari non possint, dubitandi locus esset, an
ex hoc posset matrimonium separari; difficillimum
enim est, & fortasse impossibile arti Medicæ hoc vi-
tium emendare; licet namque quamplurima propo-
nantur medicamenta, quæ obzæta corpora extenuare
possunt, & superexcedentem pinguedinem minue-
re, ea tamen operatio periculi plena est, & vix un-
quam optato fine in ea exequenda Medici potui-
tur, ut latus demonstravi lib. 2. De Quietæ servanda
in curandis morbis. non habet autem tantam difficul-
tatem ea res, si ex parte alterius solum ex conjugibus
ea causa sit, & idcirco existimaverim, ob hanc im-
porentiam ex parte unius tantum conjugis, matrimo-
nium non debere separari, quia hoc impedimen-
tum est aliquo modo remediabile, non tam pingue-
dinis extrennatione in eo, in quo abundat, quam ex
celebratione ipsius actus coeundi, qui ubi necessitas
urget, potest facilius hac aut illa ratione celebrari,
quæ tamen in fe peccati nihil habeat, ut palam est.
quando vero impedimentum hoc ex nimia pinguedine
esset ex parte utriusque, an propter hoc dirimi possit
matrimonium, Canonistis decidendum relinquam.

Inter impotentias quoque respectivas considerari
possunt illæ, quæ ex animi nonnullis passionibus de-
pendent, ut primo ex nimio Amore, ut alias diximus.
licet enim coitus, & conceptio ipsa melius succedant
inter amantes ob desiderium, & ob meliorem seminum
coherentiam, ut tradit Plutarch. sympof. dec. 5.
probl. 8. tamen id de amore moderato, non de effra-
nato intelligi debet, ubi enim immoderatus sit, potius
impedimento est, ut ex Card. 13. de Subtil. dixi. idem
præbet impedimentum odium intensum, quod &
tunc admonui, pudor quoque ejus rei causa esse po-
test, nam si vir erubescat coram sponsa, nunquam eum
ea coibit. Baver. ubi alias, an autem hæc impotentia
sufficiens causa esse possit separationis matrimonii,
ego alias pro eo, quod ad Medicum spectat, negati-
ve respondi. rationem esse dixi, quod omnis pudor
consuetudine & familiaritate aboletur, omnis amor
effervescit, omne item odium mitescit, quod etiam si
ex nimia mulieris deformitate dependet, tamen &
tenebris, & temporis diuturnitate demulcetur.

Denique generandi impotentiam, quæ respectiva
sit, absque remedio esse sciunt Medici; hanc namque
ut plurimum ex seminum disconvenientia nasci pa-
tet, debet enim, ut alias dixi, inter semina esse quæ-
dam convenientia, quod doctissime explicavit Lu-
cretius lib. 4. de rer. nat. seq. carmine:

*Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur,
Atque alias alii complent magis, ex aliisque
Suscipiunt alie pondus magis, inque gravescunt;
Et multa steriles Hymeneis ante fuerunt*

Pluribus, & natæ post sunt tamen unde puellas
Suscipere, & partu possent discere dulci.
Et quibus ante domi succundæ sape neguissent
Vxores parere, inventa est illis quoque compar
Naturâ, ut possent natis munire senectam;
Vixque adeo magni refert, ut femina possint
Seminihus commisceri genit alter apta,
Crassaque convenient liquidis, & liquida crassis,
Quæ cui juncta viro sit femina per Veneris res.

Ad hanc generandi impotentiam respectivam re-
spiciens Plato de leg. 6. in fin. voluit matrimonium di-
rimi, & alios conjuges aliis conjugi, quibus magis
convenient, ut proli gignendæ dent operam, quod
tamen in Christiana Religione veritatis magnitudo
permissum nequaquam est.

Sed hac occasione sumpta de sterilitate Mularum,
pro Philosophis aliquid afferam; nam aliqui hanc fe-
minum disconvenientiam pro causa earum sterilitatis
adduxerunt: notum enim est, Mulas non genera-
re, & notatur à ll. in l. Adiles ajunt. s. sed enim ff. de
Adil. ed. quod etiam locum habere in omnibus, quæ
ex duobus generibus diversis nascuntur, testatur Plin.
lib. 8. hist. nat. cap. 44. & ex eo repetit Alex. Tasson.
Quæst. lib. 5. n. 32. ejus autem rei causam longiori-
bus quæsit Arist. 2. de Gener. Anim. c. 6. ubi contra
Empedoclem, & Democrit. disputat nam licet di-
catur in Cappadocia & Syria Mulas generare, à
Theophr. & Aristot. 6. de hist. Anim. cap. 18. & ali-
quando etiam in Italia Mulas pepererint, id pro
prodigiosa potius re, quam naturali existimat Plin. loco
cit. unde est quod prodigiosam rem, & eventu ta-
ram, parienti Mula comparemus, ut Iuven. Sat. 13.

--- Et factæ comparo Mula.

immo cum quid, quod nunquam futurum speramus,
significare in animo est, proverbio illo utimur: Cum
Mula pepererit, Auctor in Adagijs. Sed mirum pro-
fecto est de ea sterilitate, neque videntur multæ cau-
sæ à multis adductæ undequaque satisfacere. Alex.
lib. 1. probl. 137. & Card. lib. 10. de subtil. trans. princ.
diffidentiam seminum causantur; ego hanc seminum
diffidentiam hic nihili facio, quia promptius impe-
diret generationem inter duo genera diversa, nempe
inter Equum, & Asinum, quam inter ipsas Mulas.

Plura ego desiderarem in hac re considerari, fe-
minum qualitatem, & quantitatem, locorum genita-
lium constitutionem, & alia his pertinentia, quod
enim circa loca vitium esse possit, non deservunt ex
Philosophis, qui testantur, quorum dicta non sunt
contemnenda, quicquid dicat Aristoteles, Diocles en-
nim firmavit, se ex dissectionibus (in quibus quis scit,
an diligentior fuerit, quam Aristoteles?) didicisse,
Mulas habere locos breves, & restrictos, pumileq;
quod etiam consentaneum rationi est ob exasperan-
tem siccitatem, qua dotantur; nam idcirco eas, ut
cæteras feminas nullo modo menstruari constat, te-
ste eod. Aristot. ubi supra, nimirum 2. de Gener. & 6. de
hist. Animal. Ex quibus videtur universa sterilitatis
culpa in Mulis esse penes feminas, quod multo magis
firmat, id quod Aristot. testatur adductus à Lice-
to lib. 4. de spont. vivent. ort. cap. 36. quod nimirum Muli
ad Equas admitti generant, cujus rei etiam mentio-
nem habet Alex. Tasson. ubi supra. Fortasse & ali-
quid peccatur in admisione Marium, cum Equæ aut
Asinæ à Maribus iniri permittuntur. Ac mihi quidem
difficile videtur, absque integra horum omnium cog-
nitione de his causam sufficientem reddere. si verum
est quod de brevitate locorum afferebat Diocles, &
ante illum Empedocles, multo magis veritatem ha-
bere

bere dicemus, si è contra marium genitalia longiora ac crassiora quam par sit, saltem respectu brevitatis locorum genitalium feminari esse, considerabimus.

An non in feminibus aliquid inesse vitium potest? maxime quidem, & sic non una tantum, sed plures causæ ad hoc ipsum concurrerent, sed ad plenam hujus causæ investigationem ultra prædicta videndum esset, an sterilitas in omnibus cum omnibus insit, cum multis rationibus feminas maribus conjugii contingat.

Mularum enim duplex genus, unum quod ex Equo & Asino, alterum quod ex Equo & Asina oritur, quorum unumquodque inter se conjugii possit, & unumquodque cum alio, permutatione maris & femine; & ipsæ insuper Mulæ cum Equorum & Asinorum maribus, & Mulæ cum Equorum & Asinorum feminis miscere se possent, & in omnibus attendenda esset experientia. Sed hæc præter institutum hoc loco dicta sufficiant.

S V M M A R I V M,

- 1 Matrimonium præcipue causâ procreandi liberorum contrahitur. (monium tenet.)
- 2 Etiam cessante causâ procreandi liberorum, matrimonium non unum sed plura bona secum habet.
- 3 Coitus in femina non impeditur, nisi per uteri clausuram.
- 4 Sterilis mulier que dicitur. (ram, & aritationem.)
- 5 Sterilis non dicitur puella ante debitum concipiendi terminum, nec mulier post declinantem ætatem.
- 6 Virgo quamdiu Virgo est, sterilis non dicitur.
- 7 Steriles nonnullæ sunt, quæ concipiunt, sed fatum ad perfectionem deducere non possunt.
- 8 Sterilitatis signa in muliere.
- 9 Steriles ex Aristotele non pubescunt.
- 10 Femina ut concipiant, debent emittere semen.
- 11 Mulieres quomodo concipiant, absque sensu emissionis proprii seminis.
- 12 Semen in feminis excerni potest secundum aliquos absque ulla voluptate. & num. 16.
- 13 Mulieris voluptas in coitu non una est.
- 14 Mulieris voluptas in coitu major quam in viro.
- 15 In emissione proprii seminis Mulier non tantam percipit voluptatem, quantum vir in sui ipsius emissionem. & cur, numeris seqq.
- 16 In conceptione requiritur præcipue in femina motus.
- 17 Mulier cur in coitu subjaceat viro. (attractionis.)
- 18 Ad conceptionem confert concubitus modo belluarum ex aliquorum opinione, reprobatum num. seq.
- 19 Velat & mulieres que.
- 20 Arise an generari possint. (quando possint.)
- 21 Arise ex aliquorum opinione quomodo concipere ali-
- 22 Aritatione que nam aritationem admittat, que non.
- 23 Vbi in aritatione Aritationis periculum vitæ imminet, matrimonium dissolvitur, contra ubi nullum.
- 24 Aritationis duplex. (adit periculum.)
- 25 Coalescentia uteri que curabilis, que incurabilis.
- 26 Coalescentia naturalis si magna, est incurabilis.
- 27 Coalescentia ex morbo utrum sit curabilis.

De Sterilitate Feminarum, & de Imperforatis.

QVÆSTIO VII.

Certum est matrimonium causa procreandi liberorum præcipue contrahi, ut per cap. Pudor. 32. quæst. 2. & per cap. Tantum valet causâ. 32. quæst. 7. licet, ut ibid. habetur, etiam cessante ea principali qui-

dem causa procreandi liberorum, uxore dumtaxat sterili existente, matrimonium non dissolvatur, quia habet nimirum alias causas, quarum una factis est ad ejus validitatem, ut notat inter Medicos vir doctrina celeberrimus Steph. Roder. in Opuscul. cui tit. Que ex quibus. lib. 4. cap. 4.

Antiquitus tamen matrimonium ob sterilitatem dissolvebatur, ut ex Platone in fine superioris quæstionis dicebam, sed cum in sanctissima Christiana Religione matrimonium non unum solummodo bonum habeat, sed quamplura, sterilitas, ut dixi, non est sufficiens causa dissolutionis ejus. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 117. nu. 11. qui & ea omnia affert, quæ persuadere poterant, matrimonium ob sterilitatem non tenere, & multos hujus sententiæ fautores enumerat, cum tamen de mulierum sterilitate alia in dubium venire Iureconsultis possint, non ab re est aliquid peculiariter de ea hic discernere, videtur enim hic locus ad hanc pertractandam materiam aptissimus.

Dictum autem jam non semel est superius, coitum in femina non impediti nisi per uteri coangustationem, & clausuram; at conceptionem impediti facile posse ex mille causis, & sic steriles mulieres reddi, sed antequam ulterius progrediamur, advertendum est, sterilem dici mulierem, quæ in ætate habili viro foecundo debite utens, nunquam, vel rarissime concipit, ut semel tantum in tota vita. Requiritur enim primo, ut mulier sit ætate habili, & habeat aptitudinem generandi à Natura, sterilis enim nomen convenit ei, cui conveniret alias nomen foecundæ; 6 idcirco neque puella ante debitum concipiendi tempus, neque mulier post declinantem ætatem menstruis destituta sterilis est dicenda, etiamsi utraque viro uteretur, & tamen non conciperet. Mercurial. lib. 1. de morb. mul. cap. 1.

Secundo requiritur, ut viro foecundo utatur, unde 7 neque Virgo ex hoc capite, quamdiu Virgo est, dicitur sterilis. Polydor. Ripa in tract. de nocturno tempore cap. 162. nu. 12. & ex Medicis Mercurial. ibid. neque Vidua dicitur sterilis, nisi viro foecundo utatur, & non concipiat. additur enim quod utatur viro foecundo, quia mulier aliquando per se foecunda est, sed quia vir, quo utitur, est sterilis, non concipit. Tertio ad hoc ut femina dicatur sterilis requiritur, ut viro debite utatur, quia si indebite, aut admodum de raro, vel nimis frequenter, ut scorta faciunt, vel non consueta ratione à Natura instituta viro utatur, non est ex hoc sterilis dicenda.

Quarto requiritur, ut nunquam, aut rarissime, ut semel tantum concipiat, quamquam etenim Hipp. & eum secutus Valler. in 2. Epid. sect. 3. tex. 25. inter steriles connumerare videtur eas, quæ concipiunt quidem, sed factum ad perfectionem deducere non possunt, tamen verè, & ad rem nostram proprie steriles illæ dicendæ sunt, quæ cum præfatis conditionibus nullo modo concipiunt.

His ita præfatis, si unquam Legum peritis dubitare contingat, an mulier quædam sterilis sit, nec ne, (ut maxime evenire possit, ubi de partus suppositione accusata muliere, contra eam militat præsumptio sterilitatis) signa sterilitatis in muliere exploranda essent, relictis igitur pro nunc accidentalibus, & adicitur sterilitatis notis, quæ magis prompte remedia admittit, naturalis & desperata, quæ omnem curam respuit, signa jam recensenda. Ergo, ut ex Hipp. in libb. ad mulieres pertinentibus elicitur, sterilitatem mulieris attestantur corporis temperatura 9 frigida,

Quæstio VII.

frigida, lumbi adstricti, venter angustus, pili in pube, cæterisque consuetis locis nulli, aut rari, & pauci, nam, ut ex Arist. refert Nancel. lib. 3. Analog. Microc. ad Macro. cap. 7. steriles non pubescunt, quod tamen non in omnibus sterilibus locum habere dixerim, sed in iis tantum, quæ frigidioris sunt temperaturæ, & in quibus prædicta signa magis conspicua apparent, præterea vero connumeranda sunt menstrua sero apparentia, & in pauca quantitate, colore non laudabili, sed albicantia; hæc enim omnia præsertim si simul concurrant non solum frigidam temperaturam in toto, sed in partibus præcipue generationis dicatis attestantur, cum quibus non modo necesse est ob coloris nativi defectum ipsarum partium conceptionem impediri, sed etiam ob defectum feminis, quod aut nullo modo generatur, aut generatur quidem, sed quantitate paucum, & qualitate illaudabili, & omnino infecundum; nam quod mulieres, ut conceptio fiat, debeant emittere semen, atque illud quidem foecundum, temperatum nempe, & quantitate debita, & requisita, alias nullo modo naturaliter fieri possit conceptio, tenet communis Medicorum opinio, de qua etiam testatur ex nostris Avicen. 20. 3. tract. 1. cap. 3. Tadd. Florent. comm. 5. Aphor. 49. in fin. & ex Iureconsultis Carax. de Med. & Jus off. par. 1. n. 145. quæ opinio non modo firmisimis rationibus, sed ipso oculari sensu roboratur, ejus sententiæ fuit Hipp. ut apparet in lib. de Genit. transf. med. & 1. de diar. circa med. & aliis alibi, (nec veritatem habet id quod Lud. Vives in 6. de Creat. Dei. cap. 9. ei attribuit, quod putaverit modo firmisimis rationibus, sed generationi nihil conferre, quod est falsissimum.) latissime eam tuentur Gal. in libb. de femine. & Avic. 3. 1. cap. unico, & 20. 3. tract. 2. cap. 3. Fuerunt ejusdem sententiæ ex celeberrimis Philosophis nonnulli, ut Pythagoras, Democritus, Epicurus, cui & adhæsit Lucret. in lib. 4. de rer. Nat. dicens:

Semper enim partus duplici de semine constat, & quæ sequuntur. Assentiuntur cæteri omnes Medici, paucis quibusdam exceptis, ut Averroes, qui ut in cæteris omnibus Aristotelis adheret. (quamquam Aristotelem tuetur Capivacc. de fas. form. cap. 3.) Adhærent etiam Arist. D. Thomas relatus per Cajetanum, & per Navarram lib. 4. consil. tit. de frig. & malef. cons. 3. nu. 13. Conciliator diff. 137. per totam, & pauci quidam alii. quorum opinionem videntur secuti Legum periti. Capella Tolol. quæst. 96. num. 4. (quæ tamen falso hanc opinionem facit Medicorum communem) Sannazar. de matrim. lib. 7. disp. 92. num. 9. cum adductis ibi per eum, qui tamen videtur in hoc anceps esse.

Cæterum quæstionem hanc latissime exagitavit Gal. ut dixi, in libb. de femine. & post eum plures alii Medici exachissime eam rem pertractarunt, adducam autem nonnullos tantum ex Recentioribus. Cardan. Contrad. Medic. lib. 2. tract. 6. contr. 18. Mercurial. lib. 1. de part. class. 1. par. 1. quæst. 97. art. 3. Laurent. Anatom. lib. 8. quæst. 5. Valler. Contrad. Medic. lib. 2. cap. 7. Roraz. in Contrad. Galeni num. 137. Lemn. de Occult. Nat. mirac. lib. 1. cap. 6. Epiphani. Ferdinand. Theorem. Med. & Philo. lib. 2. Theor. 38. Viduus de tuend. Valet. membr. lib. 1. 3. cap. 5. & novissime vir doctissimus Roder. Castren. lib. 2. de Meteor. Microc. cap. 5. & seqq. qui omnibus contrariæ partis rationibus plenissime satisfaciunt, veritatem ejus rei demonstrant, atque omne subterfugium adversariis adimunt, omnemque loquendi occasionem, itaque

ad ulteriora progrediar, si modo antea mihi liceat per Lectorem unica instantiæ ex meo Marte satisfacere, quam proponit pars adversa ab experientia em desumens, & cujus fortasse non habent adversarii validiorem.

Ad excludendum enim, quod mulieris semen requiritur ad conceptionem, multas assertiones pudicissimarum mulierum, de quarum fide non est dubitandum, in medium afferunt, quæ se concepisse absque voluptate asseverant; unde etiam absque feminis emissionem eas concepisse necesse est: nam si semen emisissent absque dubio voluptatem in ejus emissionem percepissent, quod & ipse Aristot. testatur 2. de Gener. Anim. cap. 4. at sine ea voluptate, inquit, quæ feminis per coitum evenire solet, concipitur de ea etiam re inter Iureconsultos testis est Sannaz. de Matrim. cap. 3. art. 4. n. 12. & alii. Huic experientia, quæ multum urget, multi satisfecisse se credunt, omnem fidem mulierum assertionibus adimendo, dicentes, eas pudore percussas, aut, ut honestæ appareant, id asserere. alii dixerunt fieri quidem posse, ut sine voluptatis sensu mulier semen emittat, & concipiat; alii alia dixerunt, neque ulli videntur huic instantiæ undequaque satisfecisse; priores enim piacularum mihi committere videntur, dum quibusvis feminis fidem omnem adimunt, dumque omnes volunt nos dolosis captivunculis, ac mendaciis decipere. Ego plures earum fide dignissimas existimaverim, & absque furo & fallacia interdum veritatis amore libere nonnulla proferre. Posteriores magis ad veritatem accedunt, sed modum non explicant, quo fieri possit, ut femina semen absque ulla voluptate, & absque ullo saltem sensu emittat, cum in omnibus excretionibus Natura aliquem sensum fieri voluerit, ne involuntarie fierent, cum maximo incommodo, & dedecore, nam licet ob ejuisdem feminis tenuitatem evenire firmem, ut nullum sensum interdum faciat, certum tamen est, nunquam sine aliqua voluptate quantumvis minima excerni, quomodo autem à muliere ea voluptas nullo modo percipitur? putaverim ego huic experientiæ satisfieri, si dicamus, mulieris voluptatem in ipso actu coeundi non unam esse, & sic neque unius generis, sed unam alia majorem & evidentiorem, & quæ magis sensum moveat, quam alia. ob id majorem, si ad voluptatis perduratiõnem advertamus, voluptatem mulierem ex coitu percipere, quam virum palam est, quod & Ovidius lib. 3. Metamorph. insinuavit sub persona Tirefiæ, judicis ad hoc decidendum à Iove & Junone electi, & demonstrant etiam Medici nonnulli, ut post Hippocratem, aliosque vetustiores, Conciliator diff. 34. in fine. Roraz. in Contrad. Hipp. nu. 14. Tadd. in Ifig. Joann. cap. 31. Vide quoque Parisan. lib. 1. de subtil. microc. exerc. 7. cap. 2. Galeott. Mart. de doct. promiss. cap. 18. Laurentius Anatom. lib. 8. quæst. 7. & alii, quia mulier & ex frictione, & ex intromissione membri virilis, & ex emissionem virilis feminis, tandemque ex emissionem proprii, & per omne tempus in summa delectationem percipit, quod & insinuavit Iuvenalis Sat. 6.

Quem præstare potest mulier galeata pudorem, Quo fugit à sexu, vires amat? hæc tamen ipsa Vir nollet fieri: nam quantum nostra voluptas?

Cum ergo hujusmodi voluptates sint diversæ, & una major altera, in tantum aliquando una alteram exuperat, ut ex hoc illa altera omnino obscuretur, Evenit enim in hoc sensu, ut in cæteris, quibus si offerantur diversæ sensibilia, ut, exempli gratia, oculis plura

plura visibilia, quod magis excellens est, impedit seu obscurat visum aliorum visibilium. sed obicitur ad id, quod de majori voluptate foeminarum in coitu diximus, Hippocratis auctoritas in libro de Genitura prope medium, qui non solum majorem, sed etiam diuturniorem voluptatem virum in venere exercenda percipere quam mulierem, astruit. Hippocratis dictum ego verum crediderim quoad actum emissio- nis seminum, non in toto coeundi spatio, quia non est dubium, virum semen emittere, & quantitate longe majus, & multo crassius, quam foeminam, unde & exquisitiori sensu, & diuturniori etiam ob du- ctum, per quos transit, longitudinem, ipsum affici est necesse, quam foeminam ob contrarias causas, sed aliam responsum ad hanc ipsam objectionem vide apud Roraz. in suis contrad. Hippocr. nu. 14. Mu- lieres ergo asserunt quidem, se interdum absque sen- su & voluptate (ca nimirum quæ ex proprii seminis emissionem percipitur) concepisse, quod veritatem 16 habet, quoniam voluptas percepta vel ex ipso actu coitus, vel potius in receptione seminis virilis facta, eodem momento, quo illæ proprium semen ejacu- labantur, adeo exuperavit voluptatem, quæ in prop- rio semine emittendo percipere debuerant, ut nul- latenus ea se affectas fuisse autument, quod præcipue in juveniculis evenit ob majorem seminis tenuita- tem, & intensiorem voluptatem ex congressu, & re- ceptione seminis virilis, cui minime assueverant. hæ ipsæ etenim ob eam causam in ætate precedentes fatentur, se concepisse, antequam didicissent, quid esset semen emittere, in cuius emissionem non tantam 17 voluit esse delectationem Natura, quantum in emis- sione seminis in viris, unde, ut Hippocrates loco ci- tato annuebat, voluptas mulieris in emissionem proprii seminis longe à viri voluptate superatur, quod etiam demonstrant Anatomici, & causa non unica quidem 18 in promptu est, nempe seminis ipsius foeminae quan- titas modica, ejusdem quoque tenuitas & fluiditas, respectu virilis. item ejusdem frigiditas, seu potius caloris & spirituum pauperies, item viarum, per quas habet transitum, major brevitatis, quam in viro; in quo contra semen est quantitate multum, substantia cras- sum, calore insigni, iterque multo longius permeans, quæ omnia, ut dixi, ad intensiorem, & diuturniorem voluptatem in seminis emissionem faciunt.

Neque incausum id machinatum Naturam existi- mes, ut foemina non tantam voluptatem in proprii seminis emissionem experiat, quia cum coitum, & feminum emissionem ad conceptionem destinave- rit, & ordinaverit, in conceptione autem requiratur præcipue motus attractionis, quo uterus ad se virile semen attrahat, & alia ex parte oporteat etiam con- currere motum expulsionis in foemina proprii seminis ad uteri corpus, jam manifestum est, majorem necessitatem requiri motus attractionis, quam expul- sionis, ut mulier conciperet; nempe apprehenderet, & contineret virile semen, jam vero ne ex in- tensiore voluptate in emissionem sui seminis intende- retur etiam motus expulsionis, voluptatem illam foe- minæ moderata est brevitatis viarum, & distractione etiam sensus ad alias voluptates, & illas quidem ma- jores, ut diximus. Ad eam ipsam autem conceptionem juvenandam, & ad motum expulsionis in viro in- tendendum, in foemina reprimendum, voluit mulie- rem viro subjacere, quia hac ratione vir facilius expellere semen, mulier promptius recipere, & conti- nere, neque in expellendo magna uti vi potest, ne- que debet, cum non in aliud vas, ut vir, sed in pro-

prium expellere suum ipsius semen debeat. & hac de causa, quod Mercurialis ex Lucretio, & Paulo dicebat, in lib. de morb. mul. qu. 1. var. lect. cap. 6. ni- mirum ad generationem conferre, si coitus exercetur more belluarum à tergo, mihi non probatur; & multo minus id, quod addit ille, hunc nempe esse ve- rum modum coeundi & naturalem, nam factum à parte antica vult quidem esse magis voluptuosum, minus autem naturalem. reddit rationem ex Anato- mie desumptam, nam priori modo melius & prom- ptius recipitur semen ab utero, ut Lucretius ipse his carminibus docet lib. 4. in fin.

--- nam more ferarum,

Quadrupedumque magis viris, plerumque putantur
Concipere uxores: quia sic loca sanare possunt
Pectoribus positæ, sublati femina lumbis.
Nec molles opæ sunt motus axoribus hilum.

Sed hanc sententiam fallam esse, & magis natura- lem modum veneri exercendæ esse à parte antica, ex ipsa anatomicè demonstrat Severin. Pinæus lib. 1. de not. Virg. cap. 9. quod ego quidem verius existimo, ob causas à me superius allatas, & quia etiam expul- sioni seminis non ita fludet Natura, si mulier subja- ceat viro supina, non prona. Improbatur & hanc ipsam sententiam facundissimus Winrich. de or. Monstr. cap. 14. Hoc autem multo evidentius probatur, si ve- ritatem habet id, quod à nonnullis audivi, (neque enim habeo dignum auctorem ejus rei) partus nimirum postica venere conceptos omnes in pedes, aut alio modo præternaturali, non vero naturali modo in caput nasci, sed hoc, ut dixi, apud nullum aucto- rem fide dignum legere mihi contigit. & que quid tandem sit de hoc, cum alter coeundi hoc modo ce- lebratus inducat peccatum, ut pluribus probat Brun- nell. de sponsalib. & matrimon. concl. 8. num. 13. evitan- dus omnino est. Verum de his hæc satis sint, in qui- bus pertractandis si quæ sunt, quæ ultra honestatem prolata puris legentium auribus videantur, rei argu- mentum excusandum.

Reliquum vero est pro complenda hac quæstio- ne, ut de archæ loquamur, quas alias Atratas & im- perforatas vocari dixi, & quas Mercurialis, ex Nico- lao Florentino dicebat vocari velatas, in quibus ante uteri osculum interius membrana quædam modo crassior, modo tenuior præter naturam obtenditur, quæ & egressum mensibus, & aliquando foetui, & ingressum virili membro impedit. de his plures locuti sunt, & vide inter alios, si libet, Aetium ferm. 16. cap. 91. & Allabar. præf. 11. art. 25. cap. 19. & auctores omnes Gynaeciorum, sive de morb. mul. De his primo dubitari contingit, (neque est extra Iureconful- torum negotium id quærere) an generare possint, nec ne; alias vero ex Hipp. dixi, eas aliquando posse concipere, licet dehinc in partu pereant, & Rioli. Fil. Anstropograph. lib. 2. cap. 31. tres historias Atre- tarum concipientium recenset, hoc acceptum quoque est Avicennæ, ex quo Auger lib. 10. Epist. conf. 2. cap. 6. Tom. 2. hoc quomodo fieri possit, cum me- tum obturatum habeant, non ita in propatulo est, volunt nonnulli, ob validam uteri attractionem fieri posse, ut semen per panniculum illum quasi transco- latum ad uteri fundum perveniat, ibique ex eo con- ceptus fiat; sed hoc difficulter admittitur, quia pan- niculus ille interdum est adeo crassus, ut id impos- sibile sit tam de facili succedere. ob hanc difficultatem Avicen. 21. 3. 11. art. 4. cap. 1. distinxit declarando, conceptum non posse in omnibus imperforatis in- differenter succedere, sed in his tantum, quæ panni- culum

culum illum raræ texturæ habent. Sed apud me multum urget Hippocratis auctoritas, qui non solum fieri conceptum in Atratis voluit, sed eas in partu dehinc perire, nempe quia ob suam crassitatem pan- niculus ille obstruens exitum, disrumpi in partu non potest; at in sententia Avicennæ non esset tam diffi- cili disrumpio panniculi, cum sit raræ texturæ, unde neque necesse esset, mulieres in partu perire, idcirco mihi magis aridet sententia Ioan. Hucher. in lib. 2. de steril. cap. proprio de clausura cervicis pudendi; qui conceptum in his tantum fieri voluit, in quibus an- gultius quoddam foramen in panniculi medio appa- ret, ingressum semini virili præbens, quod tamen ad foetus exclusionem non sufficit, unde cum panni- culus validus & crassus est, nequaquam disrumpi potest, & sic consequens est, tales mulieres, ut Hipp. dicebat, in partu perire.

Secundo dubitatur, (& id magis videtur ad Iure- confultos, Canonistas præcipue, pertinere) qua- nam arctatio curationem admittere possit, quæ vero non, aut non nisi cum evidenti vitæ periculo; quia ubi arctatio quædam gravi periculo curabilis est, matrimonium non dissolvitur, contra vero, ubi im- mineat evidens vitæ periculum. Io. Andr. de spons. & matrim. num. 16. hoc autem totum dependet ex ipsius clausuræ natura & conditione, quæ duplici modo fit: vel enim membrana quædam nervæ, vel etiam carne obtenditur ante os uteri, modo inti- mius, modo extimius, vel ipsæ partes colli pudendi inter se coherent, & hoc, ut patet, modo laxius, modo vero arctius. si membrana sit, quæ impedimen- tum facit, ea vel crassa est, & densa, & valida; vel ra- ra, tenuis, & debilis, ubi crassa, & densa, & valida est, necesse omnino est in ejus incisione, & præcipue quanto interius posita est plurimum mulierem angi, maximam fieri sanguinis effusionem, dolorem inter- venire acerbum, & in summa vix evitabile est, quin partes maximo sensu præditæ in incisione lædantur, unde spasmus, sive convulsio, inflammatio, sphace- latio; itaque operatio hæc maximo, & evidenti cum periculo fit, ubi vero membrana tenuis est, rara, & debilis, absque periculo potest incidi, præcipue in teneriori ætate. idque etiam in superiori casu adno- tandum, quanto enim foemina annoior est, tanto majori periculo exponitur; quia membra omnia procedente ætate indurantur, unde evidenter sen- sus, ubi in eis aliqua continui solutio contingat.

Verum ubi uterus secundum suas parietes coale- scat, ut evenire aliquando dicit Philosophus 10. de hist. Anim. cap. 6. tunc ea coalescentia vel magna est, vel parva, si magna, vel à natura, vel à morbo; quam- quam Scaliger in comm. præcitatæ textus non cre- dit ex morbo tale quid evenire posse, sed experientia id comprobatum habemus apud Beniven. de Abd. cap. 31. & apud Ronseium Epist. Med. 49. cita- tos per Schench. lib. 4. Observ. tit. de Atratis. & apud Varandum de morb. mul. lib. 1. cap. 11. & apud Rioli. patrem in art. ven. med. sect. 4. 11. art. 2. cap. 4. cujus verba hæc sunt: Mulier Senoensis ex difficili partu collum uteri habebat ita agglutinatum, ut vix specillum admitteret jam à septem annis, talis per- manserat frustra à marito subagitata. ante quos omnes Aet. ferm. 16. cap. 95. de hoc symptomate ex prægresso morbo eveniente verba facit. Ergo ubi coalescentia magna est, & à Natura, non recipit cu- rationem; ubi magna est, & à morbo, vel est anti- quata, vel est recens, si sit antiquata non curatur, si sit recens, curari potest non tamen sine aliqua difficul-

tate, & absque aliquali periculo. Si denique ea coa- lescentia parva sit, quæ à morbo est, facilius, quæ à Natura, difficilius sanatur. sed de particularium Na- tura præsentium Medicorum judicio standum est, tametsi absolute Talliacotius lib. 1. cap. 10. de Curi. Chirurg. dicat, omnes has operationes in foeminis non exiguo cum periculo administrari.

S V M M A R I V M.

- 1 Mulier an ex semine viri concipere possit absque car- nali conjunctione.
- 2 Mulier quædam in balneo imprægnata ex virili se- mine ibi relicto.
- 3 Mulier prægnans ab alia muliere facta, quæ paula- tate cum viro coiterat.
- 4 Quidam Viro quasi abscesso generaverunt.
- 5 Incubi, & Succubi.
- 6 Incubi, & Succubi non dari, erroneum est affirmare.
- 7 Foemina ex S. Thoma concipere potest ex semine viri non nisi circa vias effuso.
- 8 Virgo absque eo, quod nullo modo corrupta sit in recep- tione seminis, potest concipere & parere.
- 9 Opera Incuborum Virgo potest concipere & parere.
- 10 Vir cum muliere commisceri non potest absque Penis erectione, neque mulier absque tali erectione potest nullo modo concipere.
- 11 Erectio unde fiat, & cui à Natura instituta.
- 12 In menjendo cur non fiat membri erectio.
- 13 Cæcus à Natura in generationem inventus.
- 14 Nimia brevitatis penis impedit generationem.
- 15 In erectione plures spiritus concurrunt.
- 16 Conjunctione maris & foemine per membra generatio- nis ad quid à Natura instituta.
- 17 Averrois, & Amati Lusitani historiis respondetur.
- 18 Virum pene abscesso generare monstruosum quid est.
- 19 Incuborum opera quomodo concipere possit mulier.
- 20 D. Thoma, & Navarra auctoritatibus respondetur.

Mulier an ex semine virili concipere possit absque ejus conjunctione, & sine totali membrorum appli- catione.

QUÆSTIO VIII.

Incet prima fronte vana, & extra rem videatur esse hæc dubitatio, & nihili à Iureconsultis fa- cienda, tamen eam talem non esse in processu ser- monis patebit. Ratio dubitandi est, quia Medici nonnulli, immo & Philosophi, & ipsi Theologi scrupulum in ea re excitant, alii propria sententia, & auctoritate, alii vero deliris quibusdam, & non nisi risu dignis effectis historiis; quia tamen, & priorum nempe Theologorum auctoritas plurimi æstimanda, & posteriores Philosophi, ac Medici suere alias maximæ auctoritatis, & doctrinæ, & idcirco multo honore digni, quantum litteraria virtus meretur, necesse est, & eas historias enarrare, & dubitanti ra- tionem explanare, ut veritas elucescat, quod, ut de- cet, omni cum modestia faciam, maxime quia non desunt doctores probatæ & Catholicæ doctrinæ, qui in his non dissimilia attulerint.

Quæritur igitur, an possibile sit, Mulierem ex virili semine concipere absque eo, quod cum eo commixta fuerit per membra generationis, sed simplici genitalium approximatione, aut utcumque se- mine prope muliebres vas ejecto, & videatur hoc non esse impossibile, cum similia in rerum Natura videa- mus.